Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2777
Quelle:
Copyright:

monibus *Jacobi Ianuensis* dicti *de Viragine* seu *Voragine*, qui circa annum 1298. vivere desiit.

DCCLXII.

201 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 264. f. currente calamo per duas columnas exaratus et minio distinctus sequentia servat. I. *Sermones V. de Sacramento Altaris*, quorum Themata: *Caro mea vere est cibus* &c. *Ego sum panis vite* &c. *Sacramentorum sancte ecclesie virtutem et admirabilem efficaciam* &c. *Probet autem se ipsum homo* &c. *Hoc facite in meam commemorationem* &c. Dati jam alibi, ubi *M. Nicolao de Dinkl-spühl* inscribuntur.

II. *fol.* 36. Responsiones *Theologorum Catholicorum* ad Allegata *Jacobi de Misa* pro Communione sub Utraque. Indicata jam *Cod.* CCCCXIV. sunt et *Allegata* et *Responsiones*, et edita utraque ab *Herm. von der Hardt.* T. III. P. 22. *col.* 805. et 826. Sed *Prooemium*, quod ab editis abest, et a *Cod.* mox *cit.* variat, hic adscribere visum est: *Barones regni Bohemie serenissimo domino principi domino Sigismundo romanorum vngarie &c. Regi miserunt quendam libellum continentem multas auctoritates, de quarum solucione per sapientes qui apud predictum principem tunc Constancie morabantur, cupiebant clarius informari, habebat autem ipse libellus talem superscriptionem. Serenissimo principi et domino, domino Sigismundo Romanorum regi et semper augusto et vngarie &c. Regi presencia scripta pro communione calicis per Barones regni Bohemie diriguntur concilio Constancie ad dissoluendum presentanda.*

III. *fol.* 60. absque Autoris nomine, *Expositio Orationis Dominicae*, ad quam tamen prolixo Sermone *de Oratione* introducimur, qui infit: *Si quid petieritis patrem in nomine meo* &c. *Petite et dabitur vobis, vt quod ex hominibus consummari non potest, per gratiam dei impleatur* &c. Finit: *dedit nobis sub paucis et brevibus verbis Ihesus christus dominus noster, qui cum patre* &c. *Sequitur continue exposicio orationis dominice.* Hujus vero initium est: *Pater noster — Oratio qua dominus et Saluator noster ihesus christus voluit per discipulos* &c. et finis: *qui hanc orationem dictauit et nos eam docuit et orare monuit et Qui cum eodem patre* &c. Connectitur autem cum ea alius Sermo de *Oratione attenta* hujus exordii: *Et quia superius dictum fuit in principio expositionis* &c. et finis: *tandem mereatur videre deum deorum in syon id est in celesti patria. Quo nos perducat* &c. Opus jam indicatum alibi ad *Nicolaum de Dünkelspühl* pertinet, editumque est *Argent.* 1516. f.

IV. *fol.* 98. minio *Incipit tractatus bonus de confessione et eius partibus.* Initium: *Ecce nunc tempus acceptabile* &c. Rursus ad *Nic. de Dünkelspühl* pertinet, et legitur, cum in *edit. suprac.* tum variis *Codd.* nostris, ut *Index* declarat.